

posuerit antiphonam *Salve Regina*, sicut indicabatur supra in lectione 3, statim discutietur. Si *Barrium* in lectione septima super Albam, vel *Barri*, subintelligendo oppidum, sit legendum, est illud in Campania Galliae provincia. Hæc tot tamque varia publicæ erga sanctum doctorem venerationis signa, quæ in hoc paragrapho ac proxime præcedente colligere visum fuit, argumento sunt, eum, ut promeritum, ita et nactum fuisse communem omnium æstimationem tam publicis quam privatis dotibus suis parem. Adde, quod facultas, ut vocant, theologica Parisiensis in memoris animi tesseram pro beneficiis, a sancto nostro præstitis huic corpori contra Abælardum, Gilbertum Porretanum, et alios quosdam e membris ejus morbidis; annis singulis, ut celebret solemnem ritum sacrum, quod comitatur dictio ad concionem, adeat Bernardinos die 20 Augusti, sicut Bailletus ad calcem Vitæ sanctissimi doctoris testatur. Populus Romanus in memoriam beneficiorum a viro sancto acceptorum, quando in magnis admodum angustiis versabatur Roma, calicem ei offert cum quatuor facibus, teste Piazza in Hemerologio sacro ad diem 20 Augusti.

693. Apud Edmundum Martene in Veterum scriptorum et monumentorum amplissima collectione tomo VIII, a col. 1486, inter statuta ecclesiæ Leodiensis, facta anno Domini 1336 et 1337 notantur ista: « Insuper pia consideratione et rationabili debito excitati, statuimus et ordinamus, ut bono confessori et doctori egregio beato Bernardo abbati, qui sua præsentia, dum viveret, sanctam ecclesiam, urbem et patriam Leodiensem in Missarum solemnibus et crebris prædicationibus, divinis ac admirandis signis et miraculis illustravit, sicut in historiis nostris dignoscimus contineri, specialis devotio, et aliquis pro tantis donis recompensatio eidem confessori glorioso singulis annis in ejus festivitate redantur, videlicet ut festum ipsius cum tribus lectionibus de propria ejus legenda, et collecta speciali cum *Te Deum*, et horis ac missa de communi unius confessoris non pontificis, in hac ecclesia celebretur. »

694. Controversia quædam paulo ante huc remissa, an videlicet S. Bernardus composuerit antiphonam *Salve, Regina*, nunc examinabitur. In primis non videtur certo constare, quod vir sanctus istius antiphonæ primus exstiterit auctor: deinde non satis liquet, si alius fuerit, quisnam ille sit. Utrumque patebit ex rationibus, in quibus varii varios ejusdem antiphonæ designant auctores. Inter opera supposititia et aliena S. Bernardi, quæ in suum volumen secundum conjecit Mabillonius, exstant Sermones quatuor in illam antiphonam; quos cur abjudicet isti sancto, indicat ibidem columna 721 ante sermonem primum. Illius auctor loco citato dicens, « Canticum istud... a Sanctis compositum, » rem involvit potius, quam decidit, dum nullum ex iis nominat, et plures videtur indicare. Enimvero locus ille prædicto Mabillonio in notis, quæ habentur in fine voluminis primi, col. 117 et 118 occasionem

quidem dedit disserendi de præsentis controversia, ac varia proponendi et discutiendi; sed exitu tamen dubio et incerto, prout patet ex verbis ejus, quæ subdimus:

695. « Hujus antiphonæ auctorem fuisse Hermannum Contractum monachum Benedictinum pluribus probat Wion, Ligni Vitæ lib. v, cap. 105, variis recentiorum adductis testimoniis, quibus hic contextus nonnihil adversari videtur. Nam Hermannum sancti nomine insignitum nullibi lego. Præterea Joannes Eremita lib. II, Vitæ S. Bernardi num. 7, refert, S. Bernardum voce angelica audivisse decantari antiphonam *SALVE REGINA*, ex integro usque ad finem: quam corde tenuit et postea scripsisse, atque D. papæ Eugenio transmisisse refertur, inquit, ut ex præcepto auctoritatis apostolicæ per ecclesias solemniter haberetur... Quod et factum est, etc. Quo ex loco angeli istius orationis auctores dicendi essent. Ad quod alludere videntur alia hujus sermonis verba, superius relatis proxima: *A summis labiis canticum istud effusum venit*. Paulo aliter hanc historiam refert Albericus in Chronico ad annum 1130, ubi commemorat, S. Bernardum Divione apud S. Benignum aliquando hospitio exceptum quam, inquit, abbatiam semper dilexit, eo quod mater sua ibi sit sepulta; audivisse ante horologium circa altare ab angelis antiphonam *SALVE REGINA* dulci modulamine decantari, primoque credidisse, fuisse conventum, ac dixisse abbati die sequenti: OPTIME DECANTASTIS ANTIPHONAM DE PODIO HAC NOCTE CIRCA ALTARE B. VIRG.

696. Dicebatur autem ANTIPHONA DE PODIO, eo quod Haimerus episcopus Podiensis eam fecerit... Unde in quodam capitulo generali Cisterc. veniam suam accepit, qualiter hæc antiphona ab omni ordine reciperetur, quod et factum est. Haimerus seu Aymar, Ademaruse, fuit episcopus Aniciensis, beate virginis in primis cultor, tempore Urbani papæ II. Verum a Guillelmo Durando in Rationalis libro IV, cap. 22, Petrus Compostellanus episcopus hanc antiphonam composuisse perhibetur: quod etiam asserit Claudius a Rota in notis ad pseudo Luitprandum. His, quæ hactenus, ex Mabillonio produxi, nulla alia superaddenda mihi suppetunt, quibus primus famosæ antiphonæ auctor ex incerto et ignoto fiat perspicuus.

§ LXIII. Tres primi rerum a Sancto gestarum scriptores.

697. Superius de Bernardo pro aliis vel ad alios scriptis diximus; nunc autem de Bernardo ipso ab aliis descripto, seu de vitæ ipsius historicis tractabimus. Egregie in primis eos laudat Mabillonius in Admonitione ad libros de Vita et gestis sancti Patris, quæ habetur volumine secundo pag. 1057, his verbis usus: « Vix quisquam sanctorum est, qui tot rerum suarum gestarum præcones, tamque eximios, et probatæ fidei scriptores habuerit, quam beatus Bernardus: cujus vitam et præclara facta tres auctores clarissimi, continuato sermone, quasi ex con-

dicto sunt persecuti; nempe Guillelmus, olim Sancti Theoderici prope Remos abbas; sed tunc monachus Signiacensis; Ernaldus Bonævallis in agro Carnotensi abbas, et Gaufridus, ipsius Bernardi notarius; omnes quasi testes rerum oculati. His accesserunt alii post eos, Alanus episcopus Autisiodorensis, et, ut alios posteriores prætermittam, Joannes Eremita, et multi alii recentiores: quos inter Philotheus, verum an fictum nomen, monachus Clarævallensis, Bernardi gesta carmine cecinit. »

698. Mabillonius de biographis ista præfatus, tres primos, eosque præcipuos gestorum sancti doctoris scriptores hisce observationibus illustrat: « Librum primum de Vita S. Bernardi, vivente ipso Bernardo, sed nesciente scriptum fuisse, diserte asserit in præfatione ejus auctor Guillelmus, pridem sancti Theoderici abbas, sed tunc jam monachus Signiacensis cœnobii, in pago Regitestensi diocesis Remensis, ad quod desiderio solitudinis et quietis sese contulerat, testante Burchardo abbate Balernensi in subscriptione ejusdem libri primi. » De tempore, quo vitam quietiorem amplexus sit Guillelmus, magis determinate constat, quam quo suum de Vita S. Bernardi librum inchoarit. De utroque hoc puncto ita memorat citatus Mabillonius: « Tempus Guillelmi secessus Signiacum intelligitur ex chartaceo S. Theoderici libro, in quo Helinus abbas, ejus apud S. Theodericum successor, anno 1135 primum nominatur. » Quo anno inchoatus sit a Guillelmo liber iste, non constat. Certe post translationem monasterii Clarævallensis in capaciorem locum, novamque ædium fabricationem, ex num. 34 et 62 itemque post schismata Ecclesiæ sedata, et confutatas hæreses, ex num. 40, adeoque post annum 1140 et forte post 1145. Porro ante Bernardum obiit Guillelmus; de quo plura in tomo V in admonitione præfixa epistolæ ad fratres de Monte Dei, et in notis fusiorebus ad epistolam 85.

699. Hæc de biographo, qui librum primum de gestis S. Bernardi conscripsit, observanda censuit Mabillonius. Quousque vero Vitam ejus perduxerit, et quænam in eadem pertractarit, intellige ex Manrico ad annum Christi 1153, cap. 11, num. 1: « Scripsit primordia, genus, patriam, parentes, adolescentiam, conversionem, monachatum, et præfaturam nascentis tunc cœnobii Clarævallensis cum reliquis, usque ad schisma Petri Leonis. » Cæterum aureo hoc auctore a continuando opere per mortem avulso, non defuit alter aureus, qui illud prosequeretur: de quo audire supra designatum Mabillonium juvat:

700. « Vitam, inquit, a Guillelmo inchoatam, mortuo Bernardo, persecutus est secundo libro Ernaldus seu Arnaldus abbas Bonævallis, non ejus, quæ in diocesi Vesontionensi; neque alterius, quæ in Rutinensi ordinis Cisterciensis; sed illius, quæ est in agro Carnutensi Nigrorum monachorum; ad

(3) Ex hisce adnotatis eruitur Ernaldum hæc non scripsisse ante annum 1139 nec post ann. circiter 1169. EDIT.

quem Arnaldum extrema Bernardi epistola 310 scripta est, quidquid alii in contrarium sentiant. Vide Notas fusiores ad epistolam 310. Hunc librum adortus est Ernaldus rogatu. Clarævallensium, quid præ modestia hanc provinciam in ipsum rejecerunt, ut in præfatione libri secundi auctor testatur, qui opus imperfectum moriens reliquit. » Quo autem circiter tempore occupatus fuerit scribenda S. Bernardi Vita, discas ex adnotatis ad libri II ejusdem Vitæ, caput 3 (3). Duobus hisce Actorum S. Bernardi scriptoribus successit tertius: quæ autem interest lectoris de eo discere, tradit idem, qui supra, Mabillonius. Proferantur hujus de illo verba:

701. « Superioribus duobus libris tres adjecit Gaufridus, non alius sine dubio, quam ipsius Bernardi notarius; distinguendus utique a Gaufrido de Petrona, cujus mentio in libro IV, num. 16, itemque a Godefrido Bernardi consanguineo, et conversionis socio, postmodum priore Clarævallensi, ac demum episcopo Lingonensi, qui tandem ad privatam Clarævallensium vitam sese recepit, ibidemque mortuus est VI Id. Novemb. anni 1164. Gaufridus vero in præfatione trium sequentium librorum lugens scribit, post annos a sua ipsius conversione, circiter tredecim acerba morte ab se avulsum fuisse Bernardum, atque adeo Gaufridi conversio anno 1140 accidisse dicenda est.

702. « Is patria Autisiodorensis, ante suam conversionem Petri Abælardi discipulus fuit, et quidem clericus, ut patet ex libro Declamationum, ejus et ipse auctor est, num. 13: *Postremo et nos in clero fuimus*. Post conversionem Bernardi, una cum Nicolao Clarævallensi notario, ac peregrinationum socius, dein, Bernardo mortuo, Igniaci primum, tum Clarævallensium post Fastredum abbas anno 1162, cui loco quadriennio circiter præfuit, ex Chronico Clarævallensi apud Chiffletium; sed postmodum a suis vexatus, abbatiam dimisit anno 1165, et ad Fossanovam in Italia se recepit; ubi et abbas postmodum fuit, ac demum Altacumbæ, ut fusius in eodem Chronico legitur. Ibidem quædam ejus opera recensentur; nempe opus insigne super Cantica canticorum, Vita S. Petri archiepiscopi Tarentasiensis, et plures alii libri et sermones.

703. « Exstat apud Baronium ejus epistola ad Henricum cardinalem, et episcopum Albanensem, atque Domini papæ vicarium seu legatum scripta de quadam nova controversia, quam reversus in Galliam comperit, scilicet de substantia aquæ, quæ eodem vino in sanguinem Domini convertatur. Item ejusdem est libellus contra capitula Gilleberti Porretani, Pictaviensis episcopi, quem libellum post libros de Vita Bernardi cum aliis ejus opusculis referemus. Denique scripsit etiam contra Abælardum, ut mox dicemus, et Sermonem edidit de S. Bernardo inferius edendum cum commentariolo in orationem

Dominicam. An autem Bernardi Vitam, cujus fragmenta tertio loco proferemus; secundamque partem libri sexti de miraculis Bernardi, præter libros tres jam memoratos, composuerit, nunc dispiciendum.

704. * Quinque libros de Vita Bernardi mox dictis subjicimus libros duos de miraculis ejusdem: unum a variis auctoribus scriptum: alterum ex Magno Exordio Cisterciensi collectum atque ex fragmentis Herberti, ex monacho Claræ-Vallensi archiepiscopi Turritani in Sardinia: qui libros tres de miraculis suorum Cisterciensium composuit, editos apud Chiffletium. Prior liber miraculorum dividitur in tres partes; quarum prima scripta est a Philippo monacho Clara-Vallensi ad Samsonem Remorum archiepiscopum: altera ab aliis Claræ-Vallensibus, quibus Philippus ipse hanc curam injunxit. Ex his unus est Gaufridus tertiæ partis item scriptor in epistola ad Hermannum episcopum Constantiensem, de miraculis scilicet, quæ a Spira usque Leodium a Bernardo facta viderat. Huic alia ejusdem argumenti succedit epistola Gaufridi monachi *magistro suo charissimo Archenfredo et utriusque. Capitulo fratribus suis uterinis*. Hunc porro Gaufridum eundem esse, qui tres posteriores vitæ libros scripsit, non dubito.

705. « Neque enim assentior Carolo de Visch, qui hos libros Gaufrido notario tribuit; illam vero partem libri De miraculis Gaufrido Antisiodorensi: quem a Gaufrido notario minime distinguendum esse probat Helinandus monachus in Chronico his verbis: *Hujus Petri (scilicet Abælardi) aliquando fuerat discipulus Gaufridus Antisiodorensis, qui multo tempore fuerat notarius sancti Bernardi: qui inter cætera de eodem Petro dixit: Ego mihi aliquando recolo magistrum fuisse illum, qui pretium redemptionis nostræ evacuans, nihil aliud in sacrificio Dominicæ passionis commendabat, nisi virtutis exemplum, et amoris incentivum, etc. Benedictus Deus, qui mihi simul et vobis magistrum dedit meliorem (Bernardum), per quem prioris redarguit ignorantiam, et insolentiam confutavit: secundum quem tria specialia in passione sua Christus nobis exhibuit, exemplum virtutis, incentivum amoris et sacrificium redemptionis*. Apud Bernardum tomi II Opusculo XI, num. 25. *Hæc, et alia multa (addit Helinandus) dictus Gaufridus contra Petrum magistrum suum fortiter et Catholice scripsit*. Ad Gaufridum Nicolaus Claræ-Vallensis scripsit epistolam 42, pro episcopo Aletensi. » Hæc de Gaufrido, aliisque Vitæ prioris, et miraculorum scriptoribus sufficiant: de aliis scriptoribus post ipsa miracula agendum; sed nos paulo post huic nostro Commentario illos intexemus.

706. Porro de tribus jam laudatis biographis consuli etiam potest historiographus Cisterciensis ad annum Christi 1153, cap. 11, num. 4, ubi inter alia, quæ de illis memorat, eorum sic landat fidem, ac descriptionis tempus definit: « Ergo Bernardus hos tres scriptores habuit suorum operum, insignes religione et scientiâ viros; nec minus omnes testes

oculares, ut neque falli possent, nec fallere voluisse credendi sint. Porro Guillelmus, ut dixi, vivente sancto; Arnoldus abbas, statim ab ejus obitu: Godefridus biennio post scripsit. Ideo enim de pane benedicto, atque ab Eskyllo in Daniam asportato loquens, ait tertium tunc annum esse, et nihilominus incorruptum conservari: tertium, inquam, ab Eskili adventu in Claram-Vallem, vivente Sancto, quem anno Christi 1152 uno, ut minimum, ante Bernardi Patris obitum contigisse, Exordio magno auctore commemoravimus.

707. « Unde obiter corrigendus venit Trithemius in libro De scriptoribus ecclesiasticis, ubi non solum Arnoldum Cisterciensem (quasi uno nomine ex suis, nostris ascripto, innumeros, quos aufert, compensaret) sed circa annum 1160 floruisse tradit, non minus in hoc errans, quam in illo. Quippe Godefridus nequaquam assumpsit opus, ipso vivente; qui sine dubio argumentum implebat pro dignitate. Quare assumptum, ut ex liquido patet, circa annum Domini 1155, Arnoldum ante obiisse plane convincit, ideoque Godefridum continuasse, quod jam Arnoldus, qui cœpit, nequaquam posset. »

§ LXIV. *Alii biographi post tres priores; alii recentiores; Vitæ apud Surium, Horstium, et Mabillonium; hujus exemplar cur præ aliis prælo a nobis detur.*

708. Distuli huc paulo ante reliquos Vitæ Bernardinæ scriptores, qui post alios § 63 recensitos sancti Doctoris gesta et prodigia ad posterós transmiserunt. Mabillonius non prætermisit operam suam considerari in notandis rebus variis, quæ ad notionem hujus argumenti conducunt. En tibi, lector, quæ apud ipsum lego volumine II, pag. 1233. « Primus, ait, est Alanus... *Reliqua vide supra*. Hæc sunt, quæ supra memoratus Mabillonius de istis biographis a se editis observavit.

709-713. Porro in animum induco meum, lectori non displicaturas alias de biographis recentioribus notitias, quorum catalogum contexit, atque huc misit R. D. Godefridus Bouvartus, quem supra laudabam § 58, num. 623. Philotheum, Gilbertum de Hoylandia, Cæsarem Baronium, Laurentium Surium, Zachariam Lippeloum ibidem ille memorat; sed suffecerit, si sequentes ex eodem catalogo huc transcripsero: sunt autem hi, et hoc ordine referuntur: Franciscus Cæsar, monachus de Dunis. 1483. Bernardus de Rosergio archiep. Tolosanus 1474. Guillelmus Flameng canon. Lingon. 1528. Congregatio Regularis observantiæ Romæ 1587. Joannes Alvarez Arragonius, 1595 Hispanicæ. Christoph. Gonzales, 1601 Hispan. et Latine. Chichere Bailly de Citeaux, 1601 Gallice. Philipp. Malabayla, 1634 Italice. Antonius Le Maître, sub nomine Lamy Gallice, 1644, 1655, 1663, 1674, 1684, etc. Theophilus Raynaudus Soc. J. 1657, 1665. Anonymus. Gallice. Divione 1653.

Nicolaus Hacqueville Parisiis 1667.

714. Lucas Bartolottus abbas carmine 1682.

Josephus Almonazid. Hispanicæ 1682.

Franciscus Giry. Gallice.

Petrus Ribadeneira. Hispanicæ.

P. Viel. Gallice 1603.

Petrus Lenain. Gallice 1697.

Franc. Jos. Bourgoin. Gallice 1704.

Gaspar Verstockz. Flandricæ 1650.

Religiosi de Beaudeloo. Latine et Fland. 1613.

Quid, quod etiam Chinice scripta fuerit Vita S. Bernardi, quam habet domnus abbas Sambernardinus ad Scaldim, prout superiori catalogo subjungit laudatus Bouvartus. Biographis autem jam nominatis adjici possunt alii neoterici Galli duo, videlicet Adrianus Baillet in Vitis sanctorum, quæ Lutetiæ Parisiorum anno 1704 impressæ sunt; et Villefore, qui sancti Vitam ibidem eodem anno vulgavit.

715. Sed quandoquidem Vita apud Surium, de quo mentio facta est supra, omnium passim manibus teritur, censeo lectoris interesse, ut non ignoret, quæ de Vita ista animadvertit Horstius in admonitione ad lectorem, quam præfixit Vitis a se editis, et ibidem observat, « Vitam istam collatam cum ea, quæ hactenus, inquit, una cum Operibus S. Bernardi edi solet, deprehensam a me non parum verbis et reipsa variantem. Mirabar initio sane (jam tum necdum ms. Vitæ nactus eram) cur, vel quomodo id factum. Suspicebam, an forte Surius aliquid solitæ et familiaris sibi licentiæ, qua in plerisque aliis SS. Vitis usus erat, hic quoque usurpasset. Sed suspicionem vix admisit oratio horum auctorum non egens lima, utpote per se, ac pro instituto tersa satis et elegans: ut taceam, quod stylus sanctis illis viris pariter ac eruditis, illo præsertim ævo, familiaris, habeat peculiare quiddam ac patheticum, et nescio quid latentis energiæ ad commovendos lectoris affectus, quod nostri non ita facile assequantur.

716. « Esto itaque notetur alias ab eruditis velut intempestiva Surii diligentia; ego hic culpa illum vacare credebam: neque enim verborum duntaxat, licet rarius; sed et rerum discrimen inter utrasque editionis notabam, et tale quidem, quod Surianam recentis alicujus mutationis nota facile liberaret, utpote quæ vulgata plenior et uberius, fide alicujus ms. exemplaris haud dubie niti videretur. Attamen dum hic anceps fluctuo, tandem offertur mihi, quod hactenus anxius quæsieram, antiquum Vitæ S. P. exemplar ms. e bibliotheca celeberrimi monasterii Campensis ord. Cisterc. id quod inspectum mox omni suspitione Surium absolvit, utpote Surianæ editioni respondens; sed in multis tamen longe correctius et auctius: nam librum quoque miraculorum adjunctum habebat. Ex hoc itaque Vitam S. Bernardi tibi, benigne lector, repræsentamus... Quæ his notis () inclusa vides, scito in hactenus editis desiderari; et nunc recens ex ms. inserta esse. » Atque hæc sunt, quæ Horstius inter alia præfatur ad lectorem de sua editione; in qua

PATROL. CLXXXV.

accuranda etiamsi vir eruditus ac sedulus insignem prorsus atque utilem insumpsit laborem; non hanc tamen, sed Mabillonianam potius a nobis recudendam censuimus.

717. Movit nos primo, quia Mabillonius Horstiano labori secundas curas adjecit, dum illum editorem præ oculis habuit. Secundo, quia eundem auxit, uti patebit e Vitæ, quam vulgavit, decursu, ac indicat ipsemet in admonitione ante librum primum ejusdem Vitæ, dicens: In fine hic monemus, ea quæ ansulis in consequentibus offendes, ab Horstio ex codice Campensi, vel a nobis addita fuisse. Tertio, quia exemplar Mabillonianum, quod prælo dabimus, est magis emendatum, quam Horstianum, uti perspicere nobis licuit, quando hoc cum illo contulimus. Quarto, quia illud novis ac doctis notis illustratum, ut nihil dicam de variis lectionibus. Utimur autem hic impressione, quæ apud nos est, quæque in lucem prodit Parisiis anno 1690. Noverit interim lector, non omnes Vitas quæ apud dictum editorem exstant, typis commissum iri a nobis, ob rationes proxime designandas.

718. Nova autem a nobis fiet capitum partitio, novos capita ipsa dividuntur in numeros. Antiqua tamen librorum quinque dabimus post Præfationem libri primi: quæ deinde etiam assignabuntur ad marginem nostræ impressionis. Tituli item miraculorum sive libri sexti Vitæ, dabuntur post ejusdem Præfationem. Præter adnotata, quibus hunc librum conabimur elucidare, ratio etiam habebitur observationum, quas mense Septembri anno 1672, huc misit Tornaco R. P. F. Josephus Ignatius a S. Antonio, Carmelita excalceatus. Miraculorum etiam synopsis proferemus in Gloria posthuma S. Bernardi, eorum commodo consulentes, quibus vel non vacat longiores ac numerosas eorumdem miraculorum narrationes perlegere, vel quibus selecta quædam placent, atque ad concionem accommodata, quæ convenienter ad suæ dictionis materiem proponant auditoribus, magisque ad manum hoc modo illa habere possint.

§ LXV. *Illustrissimus Manricus quo apparatu, et qua fide scripserit suos Annales, atque adeo res gestas S. Bernardi eisdem intextas: de auctore Exordii magni Cisterciensis.*

719. R. D. Carolus de Visch in Bibliotheca scriptorum sacri Ordinis Cisterciensis Angelum Manricum laudat a nobilissima familia, acuto ac facili ingenio, atque ad omnia prompto; nec non a singulari adeo in studiis philosophicis ac theologicis progressu, ut professoribus admirationi esset. Addit idem bibliographus, cum magna ad concionem dicendi, suosque auditores ad quemcunque vellet affectum inclinandi, verborum copia et elegantia præditum fuisse, idque munus summo cum concursu et plausu exercuisse, undequaque ad illud invitatus: virum item summi in rebus gravissimis consilii fuisse; cathedræ autem theologicæ in academia Salmanticensi præfectum, summa cum nominis celebritate spartam hanc per